



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 18. Sacerdotes in moribus grauitatem præferant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

cris vestigijs insistendo, Sacerdotes, nimium in vestitu ornatum, & nimium neglectum despiciate, nam vt primum noxium est, ita alterum non minus damnosum.

Idem quoque doctor virgini cuidam sanctæ vivendi agendique normam præscribens ait, *Vestis nec satis munda, nec sordida & nulla diuersitate notabilis sit, ne digito monstreris, & hoc vitio vertatur.* Quod virgini huic tantus Doctor, hoc omnibus in genere Sacerdotibus impleo suggero, ipsorum scilicet vestes mediocres esse debere nec mundas nec sordidas, sed imprimis nequa in eisdem appareat nouitas aut diuersitas.

Sacerdotis vestis non sit nouæ formæ nec diuersa. Epist. 21. ad Eustochium

### CAPVT XVIII.

*Sacerdotes in moribus grauitatem præferant.*

Grauitas Sacerdotibus conueniens.

**S**I quid est quod Sacerdotium deceat, ipsa grauitas & maiestas est, tum in verbis tum in moribus: namque vt planetæ sublimiores lentius progrediuntur, maioremque in moribus suis naturalibus grauitatem ac pondus ostendunt, quàm infimi & ima in sphaera constituti, vt Saturnus qui quatuor aut quinque annorum millibus cursum suum peragit, quem luna triginta diebus facile conficere consuevit. Ita quoque Sacerdotes, qui sunt veluti stellæ & planetæ orbis, at qui ceteris Christianis sublimiores sunt, in omnibus actionibus suis ac verbis graues esse debent, maioremque alii maiestatem, pondusque præferre. In cuius rei signum voluit olim Deus vt summus Sacerdos Mosaicus in publicum prodiens vestem gereret tintinnabulis circumdatam, vt ipso incedente

dente, tinnitibus sonitum tinnitumq; eden- *Exod. 25.*  
 tibus, maiestatem hoc illi quandam adderet, atq; *27. 28.*  
 ita omnes honorem ei & reuerentiam exhiberent.

Inter ceteras Leuitici constitutiones hæc in- *Sacerdos*  
 primis eminebat, *Sacerdos super cuius caput non facile*  
*isum est unktionis oleum, & cuius manus in Sa-* *caput dis-*  
*cerdotio consecrata sunt, vestitusque est sanctis ve-* *cooperit.*  
*stibus caput suum non discooperiet, vestimenta non* *Leuit. 21.*  
*scindet.* Hæc lex Sacerdotes edocebat grauita-  
 tem morum esse quærendam, utpote quibus  
 omnes exhibere honorem, & ipsi paucissimis  
 deberent.

Apostolus hac super re Timotheum suum *1. Tim. 4.*  
 informans dicebat, *Nemo adlescentiam tuam*  
*contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo,*  
*in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate,*  
*Doctrina & consilium hoc Apostolicum ad o-*  
*mnem in genere Sacerdotes spectat, docetque e-*  
*os, quamuis adolescentes & iuniores sint, ser-*  
*uum instar viuere, & bonum omnibus exem-*  
*plum dare debere.*

Idem quoque Magister alium discipulum *Grauita-*  
 informans ait, *In omnibus te ipsum præbe exem-* *tem Apo-*  
*plum, bonorum operum, in doctrina, in integritate* *stolus Sa-*  
*& grauitate, &c. hæc loquere & exhortare, &* *cerdotes*  
*argue cum omni imperio; nemo te contemnat. Le-* *docet.*  
 ctio hæc ad omnes omnino Sacerdotes spectat,  
 docetque eorum actiones serias, graues, mo-  
 destas, vitam irreprehensibilem, conuersatio-  
 nem decentem esse debere, ne si secus sint, con-  
 temnantur, sed ut ab omnibus colantur.

Filia Saulis Michol videns coniugem suum Da- *Sacerdotes*  
 uid coram arca Psalterio ludentem, & tripu- *qui graui-*  
 dianem, quasi regie maiestatis oblitus esset, & *tatem ne-*  
 populari seritu gereret, illum derisit, dicens, *gligunt*  
*risui se ex-*  
*ponunt.*

2. Reg. 6.

Quam gloriosus fuit hodie rex Iſraël diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruatorum ſuorum, & nudatus eſt quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris. Hinc diſcimus, Episcopos & prælatos, qui Eccleſiæ principes ſunt omnem grauitatem, ordinisq̃ ſui dignitatem oblitos, in verbis ludicra conſectando, nugas & iocos diſſolutos ambiendo, ſeſeque ridiculos oſtendendo, dignitatem prodigere, omnium ſe ſannis exponere, ſuorumq̃ ludibrium & fabulam fieri.

Themisto-  
cles noniſi  
magnis  
rebus ſtu-  
debat.  
Plut. in mo-  
tal.

Themisto-  
cles Athenienſium dux cum ad ra-  
xillorum luſum ab alijs inuitaretur, negauit  
ſe illius luſus peritum, interrogatibusq̃ dein  
alijs quid tandem ſciret, reſpondit, Ex parua re-  
pub. noui magnam facere. Martius ille Pullo o-  
ſtendere hocce reſponſo volebat, & ipſe cum  
illo, viri cordati ſapientisq̃ eſſe humilibus  
& leuibus non addicere, ſed in omnibus maie-  
ſtatem grauitatemq̃ ambire & nonniſi ma-  
gnis inhiare. Adeo vt Sacerdos, qui Deus qui-  
dam in terris eſt, ducis huius exemplo ludos il-  
los lentiores & pueriles contemnere, & non-  
niſi ſublimioribus ſe addicere debeat.

Alexander  
arma  
quam ly-  
ram ma-  
luit.  
Plut. ibid.

Alexander Macedo cum Ilium Troia arcem  
ſubiſſet, & ciues illi illicem Paridis lyrã obtu-  
liſſent, ait, *Achillis lorica & arma malle*. Di-  
gnam Principe vocem! qua edocemur, corda-  
torum ſapientiumq̃ virorum eſſe non humi-  
le quid aut paruum deſiderare, ſed ad ſublimi-  
cellaque deſiderium votumq̃ extendere.  
Regis huius reſponſum materix adaptant  
meæ, dico Sacerdotes idem omnino dicere de-  
bere, ſeriaq̃ & graua ludicris leuibusq̃  
preferendo, mundanas harmonias contemne-  
re, ſolaſque virtutes & admiranda Ieſu Chriſti,  
eiuſq̃

inque Sanctorum, qui Hectores & Achilles  
Ecclesiarum sunt, deprædicare.

Ateas Scytarum rex cum conuiuio interes-  
set, rogatus fuit magnus tibicen Ismenias ut in  
gratiam conuiuarum harmoniam aliquam e-  
deret; quod & re ipsa præstitit, cumque omnes  
artem eius & elegantiam demirati essent, rex  
è contrà neglexit dicens, Mallem equi genero-  
si hinnitum audire, quam tibicinis huius harmo-  
niam & concentum. Regium profectò apoph-  
thegma, at quo docemini, Sacerdotes, quod  
si vel status vestri dignitatem perspiceretis &  
bona vestra nossetis, magis oblectaremini in  
colloquijs pijs, grauibus, modestis, ut de mor-  
te Iesu Christi, de supplicijs crucis, de conflictu  
passionis, de vita Sanctorum, deque supplicijs  
infernalis, de dæmonum persecutione, quæ  
bellica & martia sunt, quam cantilenis, musicæ  
harmonia, vanitati & inanijs sæcularibus in-  
tendere.

Lampridio teste, Alexander Seuerus Impe-  
rator, quamuis peritus esset geometra, scitè  
pingeret, caneret nobiliter, numquam tamen  
alio conscio, nisi pueris suis testibus, eas artes  
exercere voluit, velut totius orbis Imperatore  
indignas, & totius mundi Monarcham parùm  
decentes. Gentiles hos respicite, Præsules &  
Sacerdotes, & quamuis mechanicas hæc artes  
calleatis, multasque scientias mimiciasque sæ-  
culares, easdem nolite exercere; videte quid ve-  
stram deceat maiestatem, Sacerdotio honorem  
deserte, & cogitate lusus illos, iocos, harmoni-  
am, aliaque ludicra & inania vobis penitus in-  
dignas esse, & alia longè maiora grauioraque  
vos decere.

Hinnitus  
equorum  
Ateæ regi  
gratior  
quam mu-  
sica.

Alexander  
Imperator  
coram a-  
liis canere  
nolebat.

Cantor  
Philippum  
de musica  
loquentem  
arguit.

Audite quid aliud. Philippus Macedonum rex, cum quadam tempestate de musica arte coram illius peritissimo disceptaret, hoc acre responsum audiit, *Numquam dii (ô Rex) tibi tantum mali faciant, ut tu me canendi arte vincas.* Ostendere volebat rerum humilium infimarumque cognitionem tractationemque Magnatibus non conuenire. Et ipse ad illius imitationem dico, rerum vilium exiguique momenti cognitionem scientiamque summis Sacerdotibus penitus indignas esse. numquam verò Deus permittat, ut ipsos in eo sæculares mundi que sectatores superent: grauitas quippe honorem alijs & reuerentiam comparat; nimia verò familiaritas recreatioque ridicula & leuis, contemptum.

Dauid ut  
stultus de-  
risus, co-  
ram rege  
Achis.

1. Reg. 21.

Dauid regno destinatus, omnem magnificentiam ac maiestatem perosus, morionemque coram rege Achis. & mimum agens, omnium sannis, & ludibrio fuit expositus, & vecors & motæque mentis habitus: *Et ait Achis ad seruos suos; vidisti hominem insanum, &c. An desunt vobis furiosi, quod introduxistis istum?* Sacerdotes & Prælati, qui Sacerdotalem illam grauitatem negligentes scurrilibus se dedunt, & mimos agere volunt coram alijs, honorem prodigentes & præclaram illam dignitatē profanè vilipendentes, omnibus se ridiculos exhibent, omnium se ludibrio contumeliæque exponunt, & in causa sunt, cur ab alijs vecordes & cerebri imminuti habeantur.

In L. 1. Reg.  
c. 2.

Sacerdotes  
stultitias  
iuueniles  
non se-  
quantur.

Hanc quoque rem sanctus pertractans Gregorius, hisce verbis vsus est, *Senes sunt Sacerdotes, quorum officium quia grauitate magna honestatis impenditur, à religionis pondere nulla pueri-*

in leuitate vacuatur. Sententia hæc ostendere  
 vult, Ecclesiasticorum esse iuueniles inania in-  
 opiasque non consecrari, sed senum ritu viue-  
 re, inque omnibus magistralem quamdam gra-  
 uitatem præ se ferre.

Seraphicus Bonauentura in eandem mate-  
 riam delapsus ait, Sacerdotalem dignitatem  
 sooriam quamdam grauitatem exigere, & à  
 turbis liberam, vitam seriosam, & singulare  
 pondus honestæ conuersationis. Quomodo  
 enim is alijs sit exemplo, qui in nullo ab alijs  
 discrepat? nihil in moribus suis rarum habet,  
 quod cum alijs commune non sit? quid popu-  
 lus in te demirabitur, si quidquid feceris in se-  
 ipso viderit? at quid dicet, si quo erubescit,  
 quodque in seipso non nisi cum rubore videt,  
 in te euidenter apparere viderit, quem penitus  
 Sancti & veneratione dignissimum credebat?  
 Notate præclara hæc verba Sacerdotes; atque  
 hinc discite, vitam & mores vestros ultra com-  
 mune vulgus, vti dignitas vestra eorum statum  
 longo interuallo transcendit, quid continere  
 debere.

Hac in re Pontificem quemdam informans  
 Bernardus ait, *Eslo grauis, sed non austerus, &c.*  
*mod. ocritatem sectare: vt neque de seueritate sis*  
*oneri, neque de familiaritate contemptui.* Non  
 Pontificem solum, sed omnes in genere Sacer-  
 dotes instruere Bernardus voluit, grauitatem  
 moderatam illos decere, id est, ne nimis rigidi  
 sint, nec etiam remissi; sunt siquidem hæc ex-  
 tremas, quorum vnum Ecclesiasticos intolera-  
 biles, alterum contemtibiles reddit.

Sed grauitas hæc pondus quoddam oppositum  
 habeat, vt non nisi virtuti insistat; nam vt san-

Nihil cõ-  
 mune cum  
 populo  
 habeat Sa-  
 cerdos.

*In Phar. l. 1.  
 c. 19. ex Am-  
 bro. Epist. 6.*

*Lib. 4. de  
 consid. Greg  
 c. 20. moral  
 c. 3.*

Sacerdos  
 non nimis  
 austerus,  
 aut liber  
 sit.

Moderen-  
 tur graui-  
 tatem Sa-  
 cerdotes.

sup. Cantic.  
serm. 21.

Etus Bernardus ait, si interdum seueritate opus sit, paterna sit non tyrannica; Sacerdotesque sint matres in demulcendo, & patres in populi vitijs castigandis. Documentum vniuersale, quo edocemur, Ecclesiasticos grauitatem moderari & ordinare debere; quicumque enim modestiam ei comitem adiunxerit, verè se patrem ostendit, sed eius limites excedere, tyrannidem sapit.

2. p. past. c. 3.  
Sacerdos  
regiam  
granitatē  
præferat.

S. Gregorius veteris Pontificis vestes allegoricè exponens ait, *Auro & hyacintho purpureo permisceri, vt scilicet animus Sacerdotalis sublimia & caelestia docendo, ad illa aspiret & suggestiones vitiorum reprimat, eisque velut ex regia potestate contradicat.* Insignis profectò consideratio, cuius sensus est, Sacerdotes cum reges sint, alios reprehendendo, auctoritatem quamdam regiam grauitatemque præferre debere.

Cap. de exercitat.

Nimia facilitas noxia Sacerdoti.

S. Pater Ephrem sui temporis religiosos clericosque alloquens ait, videte ne aut nimis faciles aut blandi sitis, ne quamprimum vestra vos poeniteat negligentia, vitijsque assuetis, Ab initio potius graues ac seueri estote aduersus omnem cupiditatis titillationem, & ne assuescatis in bello inferiores esse. Sapiens hæc prudensque instructio, è qua Sacerdotes dicant, nimia se facilitate sæpius in vitia delabunt & ab ijldem honesta grauitate retrahi.

Grauitas  
ei necessaria.

De ord. vit.  
serm. 86.

Mellifluus Bernardus vt certum credit, omnibus Monachis & Ecclesiasticis nullam virtutem magis necessariam esse, quàm simplicitatem religiosam & grauitatem verecundam. Equidem illi libens suffragor, firmiterque credo, illum verum Sacerdotem esse, qui cum religio-



religiosè simplex sit, honestiam tamen gravitatem demonstrat.

Tantum Sacerdotum sui temporis gravitatem & modestiam esse Ambrosius voluit, ut Sacerdotes incundas recreationes, iocos, & lusus illis infugiant terdixerit dicens; *Licet interdum honesta ioca ac honestos*

*suavia sint, tamen ab Ecclesiastica (velut anolus. mala) abhorrent regula: quomodo enim probare poterimus, quod in scriptura corpore neutiquam*

*reperire est? iuxta Doctoris huius sententiam, omne ludorum genus fugiant Sacerdotes, quamvis honestè iocosi sint, & iocose honesti sint.*

Inter feminas autem hanc à Sacerdotibus gravitatem adhiberi volebat S. Cyprianus, cuique temporis Sacerdotes alloquens ait, *Severitas in vobis, inquit, circa feminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur.* Sancti huius Patris consilium sequamini Sacerdotes, graves vos & seueros ostendite cum pellaci huic sexui loquemini, nec in commercijs femininis adeo familiares vos gerite.

Equam gravitatem, equam seueritatem, S. Ambrosius Imperatorem Theodosium homicidij & innocui sanguinis effusi reum insurgens, vindictamque deposcens, Ecclesie ei fores occlusit; quo facto vniuersam urbem Mediolanensem percussit, Imperatorem percelluit, eiusque Maiestatè sub Sacerdotali potestate curuari fecit.

*Admiratus Imperator Sacerdotis libertatè conscius sibi, ac proinde mœstus, & commissorum pœnitidine, interpunctus in regiam reuersus est.* Atque ita omnibus Sacerdotibus exemplum dedit, libere vt loquerentur, gravitatem seruarent,

autho-

Lib. 1. officii c. 3.

De singul. cler.

Sosom. tom. 9. c. 24. Niph. l. 12. c. 41.

authoritatem suam etiam coram Principibus ac regibus tuerentur.

Gravitas  
S. Thomæ  
Cantuari-  
ensis ad-  
uersus re-  
gem An-  
glia.  
Ioan. Episc.  
Larnot. in e-  
ius vita.  
opuscul. 68.  
Sacerdoti-  
bus graui-  
tatem S.  
Thomas  
commen-  
dat.

Non minor gravitas libertasque fuit Archiepiscopi illius Angli Thomæ Cantuariensis, qui pravis regis sui desiderijs iniquitatisque resistens, ita illum vexavit afflixitque sapius, ut rex conquereretur, non posse se cum vno sacerdote pacem in regno habere. O libertas admirabilem, sed Sacerdotibus imprimis notandam! quæ ostendit animos illis & generositatem induendam, gravitatem seruandam, iniquis tum aliorum, tum regum & Principum conceptibus resistendum.

Theologorum rex D. Thomas præclarum hanc in opusculis suis sententiam scriptam reliquit, *Nemini te multum familiarem exhibeas, quia nimia familiaritas parit contemptum.* subtractionis à studio materiam subministrat. Et sane, Sacerdotes, contemptibiles vos redditis, & ludibrio expositos, si nimis familiares fueritis, nec gravitatem vestram moderari poteritis,

De honest.  
vit. doctrin.  
c. 2.  
Paucis Sa-  
cerdos fa-  
miliaris sit.  
Lib. 1. offic.  
c. 3.  
Vera gra-  
uitas in  
verborum  
libramine  
consistit.

S. Bernardus describens in quo vitæ honestas sita sit, hoc fundamenti loco posuit, *Cunctis esto benignus, nemini blandus paucis familiaris, omnibus æquus.* Ex illius sententia inferendum est, Sacerdotes benigne tem quamdam communem, & gravitatem particularem habere, & se non nisi paucissimis familiares reddere debere.

Sermonem pondera, ait Ambrosius, verbum singula libra, & humilitate eadem meritis, fructum & repagulum linguæ iniice, eamque ita dirige, omnia ut illius verba in iustitiæ pondere vertantur, adeo ut sit gravitas in sensu, in

sermone pondus, atque in verbis modus. Hoc sequamini Sacerdotes, atque cum sermones direxeritis, verba ponderaueritis, nec leuitatem in narrando prætuleritis, tunc verè vos graues dixerò.

*Verba otiosa* ait S. Bonaventura, *undeunque sint, semper fuge; licet enim grande peccatum non putetur esse, tamen cõsuetudo graue generat detrimentum Spiritualium profectuum*: itaque neque sit ut dum linguam in verba inania otiosaque nihil minus cogitantes laxamus, ad noxia tandem deuoluamur: mali profectò fontes, è quibus saepe & motus interni & conscientie cruciatus & torsiones oriuntur. Hoc notate Sacerdotes. Nimirum familiaritates huiusmodi malorum nutritrices sunt; seueritas verò rigida, nouerca.

Cum Sacerdos gregis sit custos, & lumen Ecclesie, & ad cuius actiones omnes velut ad normam suas dirigere & efformare debent, conducit quàm maximè, si lumen esse velit, scurrilitatem ac risus petulantiam odio infestari, ne alioqui multos petulantiam ac prociacitatem doceat. Certum namque est Sacerdotem Altissimi, Angelum esse; atqui Angelus risu non dignoscitur, Deo cum timore & metu deseruiens. Sententia notatu dignissima, quæ doceat, Sacerdotes, cum sal terra sint & omnes in illos oculos conijciant, iocis se scurrilibus tradere & mimicas ineptias imitari non debere, at verba eorum seria, & quidquid ab ore eorum procedit, instar oraculi esse oportere.

Plato Philosophus in Timæo suo Gentili-um Sacerdotum mores informans, volebat eos ab alijs sequestratos viuere, grauitatem seruantes viuant,

Fugiat Sacerdos verba otiosa.

De triplici stat. religios. p. 1. c. 27.

Sacerdos scurrilitatem deuiter.

Isidorus Petrus. lib. 1. Epist. 199.

Sacerdotes à multis do secretuantes viuant,

uantes, procul ab omni populari turba commotioneque secretos; *Sacerdotes*, inquit, *ab omni turba separati vitam agant*. Quanto potius iure summi Dei Sacerdotes huiusmodi vitam agant, & à mundo sæculique turbis sequestrati, & hominum commercia deuittantes, in quiete dies transigant? Hoc igitur modo vitam instituite.

## CAPVT XIX.

*Sacerdotes placidi sint & benigni.*

**Sacerdotis**  
arma sunt  
benignitas  
& humani-  
tas.  
*Lib. 6. di-  
uin. instit. c.  
10.*

**Sacerdos**  
placide lo-  
quatur &  
benigne  
respondeat.

**L**actantius Firmianus sæculi sui oraculum de virtutibus sermonem instituens & imprimis de clementia, ait, clementiam ac sapientiam hominis arma esse à natura illi indidit, & longius progressus ait, Deum rerum artificem nullam animalibus sapientia dedisse, vires tamen & animos ad sui in periculis imminentibus defensionem & audaciam maiorem contulisse: at homini, quem nudum penitus in terra posuit & fragilem creauit, inter cetera affectum quemdam ad pietatem, benignitatemque illi indidit, vt hominem alter homo defendat, amet, tueatur, eique in omnibus discriminibus ac vitæ aduersitatibus succurrat. Adeo vt summum inter se hominum vinculum sit, humanitatis, quod qui diruperit, nefarius & paricida existimandus est. Quod doctor ille de omni in genere clementia dixit, equidem in Ecclesiæ gratiam dixerim, vera Sacerdotum arma esse humanitatem & clementiam.

Inter prouerbia Salomonis non postremum hoc sibi locum vindicat, Responsione molli frangi iram, & sermone duro suscitari furorē.